

de filios vestros pariter in

Et si quis locum vestrum
intra vestrum terram
construxerit sicut in vestra
placuit vobis et in vestra terra

Quoniam cum servare eris
terra vestra in vestra terra
qui in vobis et in vestra terra
terra et in vestra terra.

Alium vestrum in vestra terra

et in vestra terra

Et in vestra terra

et in vestra terra

et in vestra terra

In vestra terra

et in vestra terra

et in vestra terra

et in vestra terra

Pas in vestra terra

et in vestra terra

et in vestra terra

Alium in vestra terra

et in vestra terra

et in vestra terra

et in vestra terra

et in vestra terra

no

~~AM 76~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
IB 56. ———
SIGNAT. 61515000XIII.



DISPUTATIO VIII.
DE
DEMONSTRATIONE.

QUAM
In Illustri Marchionum
Brandenburgensium Aca-
demiâ

Sub
SUMMAE TRINITATIS
AUSPICIO
&
PRÆSIDIO

M. IOHANNIS CRUGERII
BERLINENSIS

pro ingenij viribus defendere contendit
ANDREAS HOFFIUS
VVartenberg. Sil.

Ad diem 23. Septemb. Anno
1605.

Typis Andreae Eichborn.



REVERENDO, CLARISSIMO & EX-
cellentissimo VIRO,

Dn. ESAIÆ HEIDENREICH,

S. S. Theologiae Doctori & Ecclesiae

Thalloreanae Pastori ac Inspectori

vigilantissimo,

NEC NON

Reverendo & Doctissimo VIRO,

Dn. DAVIDI PIPERIDI,

apud V Varttenbergenses Pastori

fidelissimo,

JTEM

Consultissimo & Prudentissimo VIRO,

Dn. ALBERTO OGORKIO,

inclutae Reipub. V Varttenbergensium

Consuli dignissimo.

JNSUPER

Honestissimo & Spectatissimo VIRO,

Dn. CASPARO KLÄRE,

ejusdem Reipublicae Civi

laudatissimo,

Dn. Susceptoris, Praeceptoris, Patronis

& Moeenatibus suis,

*Debita perpetuaq; observantia colendis,
gratitudinis & amoris ergo*

D. D. D.

ANDREAS HOFFIVS

Respondens.

Ornatissimo & Doctissimo Dn.
ANDREÆ HOFFIO
DISPVNTI.

Nascimur ignari rerum, dum nascimur orbe,
Principiò & mentem rafa tabella refert
Parva sub auspiciis fit nostra scientia mente,
Notio primùm animo, est, quæ generata, rudia
Paulatim melior sed fit, sapientia donec
Perfecta accedit, qualis in orbe viget.
Talis at exurgit perfecta scientia nostræ
Mentis per certos ex ruditate gradus:
Fundamenta locat, rerum dubitatio, prima,
Intrat opinio, post: Scire deinde venit.
Scire quod accedat, dat DEMONSTRATIO, certas
Quæ rem per causas noscere ritè docet,
Hinc quot ad egregios spirant Sapientiæ honores,
Hunc Demonstrandi semper amanto modum.

M. Jacobus Gebhardi.

ALIVD.

Quid iustrare juvat prociis edita Tempia Sophorum?
Linquere quid Patriæ mania, quæso, juvat?
Nempè alibi molli sacra sunt peragenda Vacunæ,
Quæ Patrijs fieri non licet usq; focis;
Cum tamen hæc quærenda; diem quia mittere longum
Oraclo suavi præmonet, hocce modo:
Os Veneris, Cererisq; liquos, saltansq; fritillo
Alea, Te recreent, tempora longa terant: *est.*
Ast oracula Deæ multis obstacula videntur,
Inprimisq; HOFFIO, qui fugit ista, meo,
Sirenum statuens vocem hanc, Circeaq; pocla:
Pocla bonis nunquam percipienda labris.
Hunc lustrasse aliter juvat edita Tempia Sophorum,
Longè alio altrici cessit ab urbe modo:
Nempè alibi doctæ faceret pia sacra Minervæ,
Monstrante hæc mores noscer et ut Dryadum.

o J

O si suffitūs sentirent hosce PARENTES;
 Plus, scio, plus thuris (Fata sinistra!) dares;
 Iureq; gratarer. Sed quid? Non PATRIA sentit?
 Sentit; abhinc meliūs sentiet immò brevis;
 Gratulor ergò Tibi meritò Te ad summa paranti,
 Hæcq; Tibi fuco haud illita vota fero;
 Ceptam perge viam: perge, ANDREA, ævd' p' animosum
 Musis Te exhibeas, sacra ferendo, tuis.
 Desidis est, residui quistatq; vacatq; Vacinae:
 Huic sed, qui pallet Pallade, palma datur.
 Sic lustrare decet procul edita Templa Sophorum:
 Sic olim PATRIÆ grate redibis. Have.
 Abrahamus Paricius Olsnâ-Sil.

ALIVD.

D Vm nifus, Logico, tuos
 In conflictu oculis, fortè Tenebrio
 Signat rectius, heu nefas!
 (Sic miscet tacitus nam querimonias)
 Huic quid præstigiæ, aut doli
 Consuti, noceant, artificii manu?
 Queis ille illicò cassibus
 Non mentem, aut laqueis expediat caput?
 Si pergat modò robora,
 Quo cæpit studio, acquirere pectori.
 EIA Maeste animi indole
 Spectatâ, assiduis Maeste laboribus;
 Nil gnavo ingenio arduum est;
 Conatu petimus sydereas plagas.
 Sic fastigia in artibus
 Ni attingas, peream; nil remorantibus
 Errorum scopulis, iter:
 Latè conspicuum te oppidò gloriâ
 Cernam tollere verticem:
 Dum tantum Aonidum deliciae clues.
 Johannes Scoltetus War-
 teberga-Sil.

DEPUTATIO VIII.
M. JOANNIS CRUGERII
BERLINENSIS
DE
DEMONSTRATIONE.

Respondente

ANDREA HOFFIO
VVarttebergenfi SiL.

THESIS I.

POST ABSOLVTAM COMMUNEM Logices partem; divino prosperante numine, ad Propriam devolvimur, quam similiter paucis, & in quantum chartarum angustia patitur, subiiciemus, a demonstratione factio initio. Themistius in paraph. post. an. Demonstrationem totius Logice finem vocat, absq; dubio ex hoc fundamento, quod Aristot. 1. prior. cap. 1. Totam Syllogismi doctrinam ad solum apodicticum Syllogismum pertinere scribat. Rectè autem Averroes Themistij mentem & dictum explicat in p̄s̄fat. poster. quando inquit: Proportio apodictica partis ad reliquas partes Logice est: quemadmodum proportio principatus ad eos, qui illi principatui subiecti sunt. Quamvis enim Demonstratio Logice finis ultimus & adæquatus dici non potest: Dignitas tamen, & nobilitas quæ hanc doctrinam comitatur, facile arguit: Demonstrationem habere se instar dominæ, cui argumentationes Topica & subijciuntur, & famulantur.

II.

Non rarò autem demonstratio solet latè accipi, pro quavis probatione, Quod non tantum ex communi loquendi usu, sed ex philosophorum

H

phorum

phorum etiam potest comprobari calculo, sicut hac in significatione illam usurpatam legas ab Aristotel. 1. post. 9. Plat. in Phædr. Parmen. Crat. & alijs dialogis, Scegkio super 1. prior. hic verò tantummodo accipitur pro Syllogismo qui sit Πρῆσιμονός & scientiam pariat.

III.

Vt ergò demonstrationis, propria sic dicta definitionem plenius subjungamus, illa ab Arist. 1. post. t. 8. & 9. definitur Syllogismus, qui scientiam parit: & ex propositionibus veris, primis, medio carentibus, notioribus ac prioribus, & causis conclusionis constat.

IV.

Zabar sup. 1. post. c. 2. ex Arist. rectè asserit, ab illo non quamvis nomine scientiæ intelligi cognitionem, quæ superficialiter forsan, & κατὰ γένεσιν Πρῆσιμον dici possit: sed cognitionem omnino distinctam & perfectissimam, sicut ipse Aristoteles passim hic, & in Metaph. præsertim v. in 6. Eth. ubi ex professo de habitibus mentis agere de-re-verat, mentem suam explicavit, Vide Crell. l. 1. p. propr. p. 272.

V.

Ad demonstrationem, ut scientiam parere possit, requisivit Philos. Propositiones 1. VERAS, Eius enim quod non est, non est scientia, falsum quippe est non-ens in quo fundatur. Quando ergo principia falsa, & non-entia sunt, quomodo entis, seu veri causa esse possunt, cum nihil agat ultra suum gradum secundum Averr. in l. de subst. orb. unde: Ex vero tantum sequi verum scriptum est 1. post. t. 49.

VI.

Sed duplex hic suboritur circa Arist. verba dubium, ut observavit Zabar. sup. 1. post. p. 657. 1. Quod Philosoph. postulaverit propositiones veras, huic innitens fundamento: Ex falsis nil nisi falsum sequi; cum tamen idem in 2. prior docuerit contrarium: Ex falsis nimirum propositionibus veram colligi posse conclusionem, an non hæc est contradictio? Neutiquam dicebat Averroës, Quod enim quandoq; ex falsis propositionibus vera eliciatur conclusio, id sit per accidens, & ratione formæ non per se, & ratione materiæ, cum ex falso, quatenus falsum est, nihil nisi falsum sequi possit, & eò respexit Aristoteles, materiam nempe attendebat non formam, quæ in priorib. anal. proponebatur.

Deinde

VII.

Deinde posset queri: Quare Aristoteles scripserit: Eius quod non est, non esse scientiam, cum Infinitum & Vacuum non sint entia, de quibus tamen ipse in Phys. egit: Sic falsæ propositionis datur scientia, cognoscimus enim quod falsa est, Quomodo hæc igitur simul stabunt? Verum controversia hæc facile dirimetur, si distinctio cognitionis, in positivam, & privativam observata fuerit, de qua vide Zab. d. l.

VIII.

Secundum propositionum requisitum est ut sint prima, immediata, seu indemonstrabiles, Quæ tria vocabula se mutuò explicant, & apud Arist. & apud Averr. Hoc requisitum tantummodo mediæ termini innuit carentiã, quæ si conceditur jam propositio ulterius demonstrari nequit, & ita indemonstrabilis efficitur: sicut propositio immediata t. 13. illa dicitur quæ non est alia prior, & principia demonstrari non debent, sed cognosci 2. post. t. 101. aliàs enim progressus principiorum fieret in infinitum, à quo & ratio, & natura abhorret.

IX.

Vbi adhuc animadvertendum est, Immediationem propositionum demonstrationem ingredientium requiri quidem simpliciter sed in maiore necessario, in minore secundario, & per accidens, & hoc ex sequenti fundamento: Quod præmissæ principia immediata sint, ac fiant, propter medium terminum: Didicimus autem ab Aristot. Medium terminum tantum esse causam primam, & immediatam maioris extremi, cum quo si in maiore disponatur, eam immediatam efficit, propterea, quod immediatè cum maiori extremo connectatur. In minori v. medius terminus cum subjecto disponitur, cui nõ semper immediatè inesse potest, præsertim si causa externa sit, vel accidens. Tunc ergò duntaxat minor fit immediata cum medius terminus ab ipsa subjecti forma desumitur.

X.

Si, verbi gratiã, risibilitatem de homine demonstrare velis per medium Rationale. fiet quidem minor immediata, cum dicat ipsam formã subjecti, Rationalitas nimirum homini tantum inest, & de eodem immediatè predicatur. Si v. de arboribus reservationẽ foliorum hyemem demonstrare velis, per illud mediũ: Quod habeant humorem oleaginosum,

sum jam minor efficietur mediata cum humor oleaginosus per aliunde terminum de arboribus affirmari possit, & hac est illa composita demonstratio, de qua Averr. 1. post. com. 173.

XI.

Porro requiruntur propositiones priores, intellige naturam non tempore, Non omnis, quippe, causa tempore precedit effectum: immo illa, que precedit, in demonstratione potissimum locum non habet, quoniam ea posita non necessario ponitur effectus, Medium igitur principalissime demonstrationis tempore debet simul esse cum conclusione: Idem vero natura conclusione prius est, omnis nempe causa natura prior est effectui.

XII.

Notiores preterea ideo postulatur, quod premissarum est notificare conclusionem, per ignotius autem nihil notificari potest. Vbi notandum est, Notiora alia esse nobis, alia natura. Quod si queras, an demonstratio sit a notioribus nobis, vel natura, respondebit Zabarella (qui de nobilitate hanc materiam eruditissime scripsit) 4. de Meth. c. 10. de spec. dem. c. 17. in 1. post. p. 565. & c. demonstrationem esse & a notioribus nobis, & notioribus natura: Aristoteles enim naturam nominans nos omnino non excludit, neque enim dicit causas esse notiores nature; cum natura non cognoscatur: sed in utraque acceptione notioris significavit notiora nobis: Ita ut sensus distinctionis sit: alia esse notiora nobis, id est, nobis tantum, nobis in imperfectionis statu constitutis, & ordinem sequentibus nature ordini contrarium; alia autem natura, id est, nobis servantibus ordinem nature.

XIII.

Averroes comm. 22. in explicanda Aristotelis sententia cum Zab. consentit, quando fatetur: Demonstrationem esse ex notioribus nobis, & natura simul, non ex nobis notioribus tantum. Vbi Averroes apparentem quandam contradictionem semovet, que in verbis Aristotelis 1. Phys. & hic positus dilitescere videbatur. Ibi enim dixit, Universalia esse nobis notiora particularibus: hic Universalia notiora esse natura, asserit, sed hic sermo est de universali in causando, quod notius est natura; Ibi de Univ. In predicando, quod nobis notius est.

Quod

XIV.

Quod præmissæ in demonstratione conclusionis jubentur esse causæ, de materia non de formæ respectu accipiendum est. Et hæc sunt, & ab Aristotele ponuntur requisita propositionum ad demonstrationem adhibendarum, quibus omnibus consequens, & commune est, ut sint necessariae, aliàs enim ad pariendam scientiam, quæ de rebus est necessarijs, immutabilibus, & æternis 2. Met. t. 21. 6. Eth. 3. adhiberi non possunt.

XV.

Quò verò necessitas in demonstratione eminenter conspiciatur, tres necessitatis gradus Philosoph. nobis ob oculos ponere voluit, quos locos Apodicticos nuncupare assolent: κατὰ παντός, καὶ ἂν αὐτὸ, & καθόλου.

XVI.

Κατὰ παντός primum constituit necessitatis gradum, & duplicem exigit Universalitatē. Subjecti unam, temporis alteram. Quando ergo subjectum ita est affectum ut omni, & semper insit, nascitur prædicatio necessaria, nisi enim prædicatum de subjecto omni, & semper verum esset, jam nulla necessitate cum illo conjungeretur. Et hæc prædicatio vocatur posterioristica, inq; eo à prioristica differt, quod hæc solam subjecti, illa verò temporis etiam significet universalitatem, ut est apud Zab. in 1. post. p. 700. & lib. 1. de prop. necess. c. 2. ubi sub finem aliam adhuc harum prædicationum addit differentiam, à nullo interpretum tactam, quæ ibi potest legi.

XVII.

Secundus necessitatis gradus consistit in cōditione καὶ ἂν αὐτὸ quando prædicatum non tantum necessario, & universaliter, sed etiam essentialiter dicitur, sive ut cum Averr. ex 30. comm. in 1. post. loquamur: Quando prædicatum est in definitione Subjecti.

XVIII.

Huius gradus quatuor Aristoteles facit modos, quos vulgò perfectitatis, vel modos dicendi per se vocitare consueverunt. In primo prædicatum est ipsa rei essentia, quæ cum per definitionem exprimitur, factum est, ut Philosoph. huncmodum descripserit: Prædicationem **IN** Quid, quando vel tota definitio prædicatur, vel eius partes, ut: Ho-

Primo est animal, Homo est substantia. Secundus modus per se est, quando accidens essenziale predicatur de suo subiecto. Vbi sciendum, accidens hic sumi, & vocari essenziale, non quod de essentia subiecti sit, vel eam constituat: Sed Quod ad essentia modum predicari possit. Unde duplex quoque resultat essenziale. Vnum simpliciter, cum predicatum de essentia subiecti est: Alterum consequenter, quando predicatum ab essentia subiecti dependet, & ad eam proximius accedere laborat. Quae distinctio propter pertinacia illa ingenia serio inculcanda est, quae tam strictè vocabulum & rixas sumunt, ut nihil essenziale nominare velint, Quod non totum essenziale sit, cum tamen communis Philosophorum applausus, penes quem & vis est, & norma loquendi, aliter nos loqui docuerit, sed haec incidenter, Exemplum huius modi est, quando risibile predicatur de homine.

XIX.

Tertius modus per se existentiam predicat de eo, quod verè existit, ut: Homo est. Hunc modum Interpretes dicunt esse modum essendi, non predicandi, cum substantia in eo sumatur, ut est extra animū: sed male, Aristoteles enim modum essendi non considerat, ut est modus essendi, sed in quantum ab eo derivatur, ac nominatur modus predicandi per se. Quartus Modus est, quando duo de se predicantur diversa, quod non fieri potest, nisi inter illa quaedam intercedat relatio, vel convenientia vel (ut loquebatur Averroes) proportio: Quomodo enim homo de equo, vel equus de homine predicabitur affirmative, Erit igitur hic quasi *χέρις* quaedam inter causam & effectum, ut: Aliquis interijt ex jugulatione: Eclipsis est interjectio terra, quae exempla Zabbar, de prop. nec, c. 4.

XX.

Themistius, ut ipsi tribuit Zabbar. all. libr. c. 3. quintum modum dicendi per se introducere voluit, qui tamen accidentalis est, sicut tot modi per accidens possunt constitui, quot constituuntur per se. Scotus Identitam propositionem introduxit eamque ad primum modum dicendi per se referre voluit, Exempla habet: Centaurus est Centaurus, Quae propositio manifesta nugatio est, cum ad cognitionem alicuius rei
pariendam

pariendam sit ineptissima. Thomas opinatur: solam dependentiam accidentis proprii à subjecto, ut à materia externa, facere essentialem connexum, & constituere secundum modum dicendi per se: sed refutatur à Zabarella, qui reponit, eodem modo sequi, omne accidens etiam commune, de subjecto predicari per se secundo modo, cum accidens commune non minus quam proprium à subjecto dependeat tanquam à materia externa, nec facile datur ratio: Quare subjectum magis dicatur materia accidentis proprii, quam communis. Sed prolixiorum harum controversiarum decisionem, lege apud Zabara, lib. 1. de propositionibus necess. per totum.

XXI.

Tertius necessitatis gradus est καθόλου, qui reliquos duos non tantum in se continet, sed præterea supremam, & ultimam necessitatem dicit, eo ipso, quando predicatum jubet inesse subjecto primo, & quatenus tale est. Definitio Aristotelica est: καθόλου δὲ λέγω, ὅτι ἂν καὶ τὰ πάντως τε ὑπάρχει, καὶ καθ' αὐτὸ, καὶ ἢ αὐτὸ. καθ' ὅλου vocatur, quod totum predicatum universaliter insit subjecto, Sic cum dico, Homo est rationalis: Propositio est καθ' ὅλου propterea, quod rationale inest homini, quatenus homo est: Cum verò dico: Homo sentit, propositio καθ' ὅλου non est, Sentire enim non inest homini, quatenus homo, sed quatenus animal est. In hoc necessitatis gradu cum predicatum non latius vagetur quam subjectum, semper reciprocatio potest institui.

XXII.

Demonstratio genus univocum quidem non est, cum à pluribus speciebus equaliter non participetur, quod præclare confirmatum à sæpè-nominato Zabara in l. de speciebus. demonstr. c. 1. nihilominus tamen analogicè considerata rectè distinguitur in ἀπόδειξις ἔδειξις, quæ Aristoteli ἀπὸ λόγου, alijs κυρίως ἀπόδειξις dicitur, & effectum per primam & proximam causam demonstrat: Et in ἀπόδειξις ἔδειξις, quæ Græcis ἢ ἀπὸ σημείων ἀπόδειξις, q. d. demonstratio signi, & causam ex effectu, vel effectum ex causa remota concludit. Quam distinctionem legas apud Averr. 1. post. t. 54. 55. 56. 8. phys. t. 65. 2. de Cael. t. 35. Zim. sup. 1. post. t. 95. In eo

ΕΛΕΝΧΙΟΥΣ Confessorum.

Προδιαβαλλία examinis partium Catecheseos minoris 248. g. lineam com-
mendationem Catecheseos, edita a D. Zadaris SCHILTERO.

Synopsis Ius προδιαβαλλίας, eisd.

Analysis Articuli Symboli Apostolici, eisd. D. Schitt.

• προδιαβαλλίας nuptiarum Dn. Hallen.

Alia prodis. eisd.

Alia eid.

προδιαβαλλίας nuptiarum Dn. Volgnadt.

προδιαβαλλίας nuptiarum Dn. Adami Georgii.

Volgnadt anni felici successu latu Alberto Georgio.

Disputatio de loco et tempore M. Fickler.

Disputatio de Demonstratione M. Escheri.

Consultatio ex 1. Reg. 12. aliquot orationibus expressa Francos.
in collegio privato M. Calchi Gropfieri.

Oratio de unitate et progressu certaminum Nestorianorum et Eutychariorum
in articulo de Persona Christi Wolf. Franzii. 13 N.

Disputatio de Persona Domini nostri Jesu Christi, eisd. Franzii. 13 N.

VD 17

7



10



TIO VIII.
E
NSTRA-
ONE.

AM
archionum
gensium Aca-
niã

ub
RINITATIS
ICIO
&
IDIO

S CRUGERII
NENSIS

defender. contendit
HOFFIVS
berg. Sil.
Septemb. Anno
05.
vea Eichhorn.

